DE

MORBIS QUIBUSDAM QUI SCARLATINAM SEQUI SOLENT.

DISSERTATIO
INAUGURALIS PHYSIOLOGICO-MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE IX. M. JULII A. MDCCCXLV.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

ALBERTUS EGGERS
MEGALOPOLITANUS.

OPPONENTIBUS:

B. REINHARDT, med. et chir. Dr., med. pract.
H. DIPPE, med. et chir. Dr., med. pract.
A. SEMON, med. et chir. Dr., med. pract.

BEROLINI,
TYPIS FRATRUM SCHLESINGER.

PATRI

OPTIMO, CARISSIMO

EGGERS

NEC NON

Dr. D I P P E

A M I C I S S I M O

H A S C E

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

OFFERT

AUCTOR.

PROOEMIUM.

Non vereor, ne quis scribendi cupidine incensum, ac non necessitate potius coactum me hanc operam suscepisse credat. Quodsi sponte me ad scribendum contulissem, jure an quid novi allaturus essem quaeri posset, nec ullus locus foret clementiae ei, qui se aliorum notitiae et censurae ultro et importune intrusisset, quum contra nemo fere inveniatur tam iniquus, qui quidem, quomodo factum sit, ut scriptor existerem, compertum habeat, quin etiam clementiae aliquid indulgere fas piumque opus sibi existimet. Ac nos invitos semper facere, quod coacti faciamus, ac plerumque male, quod inviti, nemo negabit.

Sed si quaesiveris, cur quid de Scarlatina potissimum scribere mihi proposuissem, non spe ducebar, me de re crebro jam pertractata novi quid allaturum esse, sed quum nihil tantopere metuerem, quam ne in eorum casum inciderem, qui caecis quasi oculis aliis jam dicta et literis tradita repetant, materiem elegi omnino mihi notam, de qua meo ipsius consilio ac mea quantulacunque experientia innisum scripturum me esse sciebam.

Quod ad morbos pertinet, qui Scarlatinam sequi solent, complectuntur vulgo medici Germanici hoc nomine hydropem,

glandularum lymphaticarum affectiones, otitidem, coryzam, ophthalmiam et periostitidem scarlatinosam; quod quidem minus accurate fieri statim in oculos incurrit, quum eodem jure, quo coryza et ophthalmia, angina quoque faucium his morbis adnumerari possit; haec plerumque inter prodromos, certe primis febris scarlatinosae stadiis adest; sed etiam coryza quamvis sequentibus demum stadiis luculenter appareat, non minus primis stadiis, quamquam symptomatibus parum apertis, oriunda existimari debet; nec justa fuit caussa, cur angina apud nos morbis scarlatinam excipientibus non accenseretur, nisi quod in plerisque, qui nobis occurrunt, casibus cum eruptione evanescere soleat, quum contra coryza, ubi semel initium cepit, diutius et multo post eruptionis stadium duret. At hoc etiam de angina fieri posse, ubi in ulcerationem aut gangraenam abierit, iis, quae a medicis anglicis descriptae sunt, epidemiis scarlatinosis edocemur. Accuratius certe erat, sicut medicis Gallicis etiam factum est, omnes istos morbos uno titulo Scarlatinae complicationum complecti. Galli et coryzam et anginam complicationes vocant, et jure quidem, quum uterque morbus in aegroto scarlatinoso et adesse et abesse possit. Quodsi tamen eum, qui hisce pagellis propositus est, titulum elegi, feci hoc et nostro mori indulgens et quia aptum videbatur, ut e titulo statim, de quibus morbis mihi sermo futurus esset, perspiceretur.

HYDROPS.

Omnium fere, qui Scarlatinam sequi solent, morborum maxime vulgarem Hydropem esse et quidem cum renum affectione plerumque complicatum, tam eorum, qui de Scarlatina scripserint opinionem esse reperio, quam mea me docuit experientia. Vidi enim in illa, quam Halis anno 1844 grassantem epidemiam scarlatinosam observare mihi contigit, plurimos eorum, qui morbis Scarlatinam sequentibus aegrotabant, Hydrope correptos, quum eorum, qui aliis morbis secundariis, ut Periostitide, Ophthalmia, systematis lymphatici et nervosi affectionibus, Otitide etc. afficerentur, multo minor esset numerus. Quodsi ignarus exstitissem aliam epidemiam aliam quasi faciem prae se ferre, ita ut, quae morborum complicationes in hac saepissime, in illa nunquam prorsus inveniuntur, facile mihi fuisset in eo acquiescere, quod ipse vidissem et in hac re expertus essem. Sed quum ante oculos versaretur ista cujusque epidemiae diversa indoles atque natura, facere non potui, quin eorum quoque medicorum opinionem auctoritatemque respiciendam existimarem, quibus non ut mihi quidem unam tantum hujus morbi epidemiam, sed multas easque diversissimis tem-

poribus contemplari licuit. Inter quos primum locum tenent Rillet et Barthez, qui de infantium morbis ita scripserunt, ut eos facile perspici possit non in modum multorum scriptorum tantum ut notescerent inque omnium ore essent, immania quasi et atrocia ementitos esse, sed sola veri cognoscendi cupidine incensos summa cum diligentia ingentem aegrotorum numerum observasse, observataque deinde accurate litteris mandavisse. Sed ad ea, quae nobis proposuimus, redeamus.

Organa, in quae serum infiltratur, sunt maxime tela cellulosa, cavitates serosae (cavitas pleurae, peritonei, pericardii, tunicae arachnoideae), pulmones, cerebrum, inter quae prae ceteris tela cellulosa subcutanea, tum vero pulmones et cavitates serosae afficiuntur. Serum organis infiltratum efficit, ut haec naturalem perdant formam, volumine amplificentur, interdum emolliantur. Ubi cavitates serosas implevit, magnopere organorum, quae illis continentur, naturales impedit functiones. Itaque quum morbi semper una eademque natura sit, magnam Hydropis symptomatum varietatem ex diversitate functionum organorum Hydrope affectorum oriri debere facile est ad intelligendum. Sed praeter Hydropsiae sedem respiciendum etiam, utrum celeris seri fiat infiltratio, an lenta, utrum porro febris et cujusnam generis adsit complicatio, necne. Est inde nova symptomatologiae derivanda differentia, quae, quod ad therapiam spectat, summi est momenti. Distinxerunt igitur jam veteres medici hydropem calidum sive febrilem, inflammatorium, acutum et frigidum sive afebrilem seu, si quae adest febris, cum lenta complicatum atque chronicam morbi formam referentem. Quodsi etiam non tam certi utriusque formae

fines sunt, ut non ex calida in frigidam saepius fiat insensibilis transitus, haud inepta tamen et imprimis practica haec distinctio existimanda est. Neque hoc omittendum, acutissimi etiam Hydropis afebrilis seu frigidi quamvis rariora semper inveniri exempla. Sed quod attinet tempus, quod durare solent, acutissimas Hydropis formas per tres dies aut viginti quatuor, quin etiam per duodecim horas, ceteras acutas per unam vel duas hebdomades, chronicas vero rarissimas omnium per quatuor vel quinque hebdomades decurrere solere ii, qui magnam experientiam habent, asserunt. Sed mihi anceps omnino videtur, certos in hac re fines constituere, nec multum interesse crediderim, num constituas, necne.

In universum igitur hoc maxime spectandum, utrum cum febri et quacum complicatus sit Hydrops, annon, utrum deinde celerem decursum facturus videatur an lentum: fieri enim potest, ut non periculosum appareat anasarca, febri quidem non praesente, et tamen aegrotus celerrima pulmonum infiltratione facta suffocatione mortem obeat. Altera ex parte videri potest anasarca leve, sed cum febri inflammatoria complicatum; quodsi tum anasarca solum respexeris, gravis erit sive renum, sive pulmonum, sive alius demum organi inflammatio, quae dum in serosa illa infiltratione debellanda tempus teritur, repentinae et improvisae mortis caussam attulerit. Quod ad tempus attinet, quo, qui Scarlatina aegrotaverunt, Hydropis periculum incurrere solent, videtur hoc florentis desquamationis una vel duabus hebdomadibus post factam eruptionem esse; certe hoc stadio prima Hydropsiae symptomata plerumque conspeximus, et Rillet et Barthez in omnibus quos viderunt

aegrotis sine ulla fere exceptione, inter duodecimum et vigesimum quartum diem post factam eruptionem orta esse affirmant.

DE CAUSSIS, QUIBUS ORIRI SOLENT HYDROPSIAE SCARLATINOSAE.

Sunt qui Hydropsias consecutivas naturali cuidam febris scarlatinosae malignitati, sive eruptioni sive desquamationi non lege artis, ut ita dicam, factis tribuendas existiment. Quod quam falsum sit, ipsi experti sumus, et magni sunt viri, qui ab nostra stent parte. Nec dubium est, etiam post eruptionem et desquamationem, secundum solitam et quam nos vocamus normalem speciem factas, revalescentes Hydrope corripi posse, quum contra non desint eorum exempla, qui, eruptione vix consequuta, vel paucas post horas evanescente, desquamatione aut nulla aut tenuissima, nulla tamen posthac Hydropsia aliove Sarlatinam sequentium morborum petantur. Verae caussae quum corporis refrigerationes, vel durante vel etiam absoluta desquamatione factae, tum maxime Nephritis albuminosa (Néphrite albumineuse), quam morbum Brightii vulgo vocamus, esse videntur. Nec ideo concludendum anasarcam non sine affectione renali, aut renum affectionem non sine anasarca inveniri posse; videbis et videre nobis contigit utriusque generis exempla, quamvis rarius inveniuntur. Vidi puellam anasarca, Ascite, pulmonum oedemate acuto admodum laborantem, quum in lotio, cujus paullulum tantum imminuta

erat copia, nullum reperiretur albumen, nec aliud omnino morbi renalis investigari posset symptoma. Altera ex parte etiam Nephritidis albuminosae sine Hydrope adnotata apud scriptores inveni exempla. Quibus rebus etiam factum est, ut reperiantur, qui Hydropem scarlatinosum, ubi cum Nephritide complicatus fuerit, non isto renali morbo effectum, sed Nephritidem simul cum Hydrope ex una eademque caussa oriundam existimari debere contendant. Sed haec adhuc sub judice lis est. Circa numerum hoc certe constat, in duabus aegrotorum Anasarca laborantium partibus plerumque etiam Nephritidem albuminosam inveniri.

SYMPTOMATOLOGIA.

Hydropis scarlatinosi imprimis inflammatorii prodromi et symptomata haec fere sunt: Renovata plerumque, aut ubi nondum evanuit, flagrantior repente facta febris, renum secretio minuta, interdum etiam prorsus nulla, urina colore saturate fusco, albumen continens, cutis functio turbata, oppressa, ita ut sicca et aspera fere digitis sentiatur. Tum Anasarca, ex facie et plerumque ex palpebra inferiori vel extremitatibus orta, aut totum corpus pervadere, aut pedibus, manibus, etiam sola facie contineri solet; unde tumescentis faciei interdum tanta deformitas, vix ut agnosci aegrotus possit. Sed ubi saccos serosos morbus invasit, videmus intumescere paullatim ventrem, respirationem difficilem reddi, aegrotum tussi, oppressione angi, arachnoidea denique correpta, totum

symptomatum hydrocephalicorum gregem apparere: cephalalgiam, sensorii communis turbationes, vomitus, deliria, convulsiones etc. Cujus Hydrocephali, etiamsi aegrotus Anasarca universali, Ascite, pulmonum oedemate simul vehementissime laborantes conspexerim, nunquam mihi videre contigit exemplum; sed invenio a Rillet et Barthez adnotata nonnulla, quamvis rarissima pro magna hydropicorum, quos observarunt, multitudine, quorum mihi unum hic afferre liceat.

Puella novem annos nata, quae valetudine admodum bona hucusque floruerat, Scarlatina febri corripitur; octavo die post eruptionem normalem desquamatio, die decimo sexto durante desquamatione primum intumescit facies, artus, accedit oedema pulmonum, functionum maxima turbatio, tussis, pectoris anxietas, dyspnoea atrox; die denique uno et tricesimo deliriis aegrota vehementissimis correpta diem obiit supremum. Sectione cadaveris facta insignis telae cellulosae pulmonibusque seri reperta est infiltratio; cavum ventris et ventriculi cerebri magna seri pellucidi copia impleta; ceterum nullius organi laesio ulla investigari potuit.

Sed haud injucundum est contemplari, quam variae diversis caussis ortae in Scarlatina cerebri affectiones inveniantur. Ita primis hujus morbi stadiis florente exanthemate aegrotos vidi omnibus Arachnitidis symptomatibus repente obortis morte auferri, quum tamen sectione instituta cerebri laesio aut omnino nulla, aut hyperaemia solum, sed talis inveniretur, qua sola ne cerebralium quidem functionum tanta turbatio, nedum lethalis explicari posset exitus. Sunt ista encephalopathiae scarlatinosae exempla non admodum rara, nec cum

Arachnitide vera, quacum saepius Scarlatina primis stadiis complicari solet, miscenda. Etenim dum his in casibus vera piae matris et arachnoideae inflammatio exsudativa symptomatum fons est, in illis encephalopathiis nihil exstat, quo symptomata explicari possint, nisi secundum typhi analogiam sanguinis chemismus vehementer immutatus; quam sanguinis dissolutionem, uti vulgo vocamus, in cadaveribus scarlatina mortuis interdum luculenter apparere, qui paullulum huic rei animum intendisse profitetur, negare non poterit. Nec licet in casibus ejusmodi ad typhi cum Scarlatina complicationem recurrere, quae invenitur interdum, at longe aliam quam isti casus, de quibus nobis sermo est, praebet imaginem. Sed ad propositum redeamus.

Superest afferre, non raro Hydropis scarlatinosi cum tunicarum serosarum et potissimum peritonei inflammatione inveniri complicationes; cujus rei unum vidi exemplum, puellam die decimo octavo post eruptionem Anasarca correptam, mox et Ascite omnibusque Peritonitidis subacutae symptomatibus laborantem. Quum haud multo post mortua esset, haud exigua in cavo ventris serositatis purulentae copia, atque insignia peritonei pluribus locis inflammationis vestigia reperta sunt. Verum hujus complicationis rariora tantum exstant exempla. Quod ad Hydropis cum Nephritide albuminosa complicationem attinet, est hujus inventionis laus medicis Anglicis tribuenda, quum antea nemo fuerit, cui renum affectionis Hydropsiam scarlatinosam concomitantis suspicio in mentem venerit. Nec possum in animum inducere longius de ea disserere, quum haudquaquam de ea renum affectione discrepet, cui vulgo

morbi Brightii nomen inditum est, quaeque alias etiam quum in adultis, tum in infantibus nulla antecedente Scarlatina febri obvenit.

In prognosi constituenda respiciendum maxime:

1) utrum Hydropem febris et quaenam sit comitata, necne;

2) utrum organi dignitatis majoris, ut tunicarum serosarum etc., adsit inflammationis suspicio, necne;

3) utrum rapidum decursum facturus videatur necne. Liceat addere in ea, quam mihi Scarlatinae epidemiam Halis observare contigit, Hydropem etsi gravem et universalem nisi cum alio morbo complicatus fuerit, vix unum me vidisse lethalem exitum attulisse.

THERAPIA.

Quod ad therapiae indicationes attinet, facile ex iis, quae supra et de Hydropsiarum symptomatibus et complicationibus disseruimus, constituendae sunt. Fac tibi sit aegrotus, corpore alias robusto ac vigenti, acuto Hydrope comitante febri inflammatoria, Nephritide praeterea albuminosa aliave inflammatione correptus, dubium non erit, quin methodus antiphlogistica in usum vocanda sit. Primum circa venaesectiones, quae a medicis Gallicis in aegrotis corpore paullo robustiore et majore aetate libentissime adhiberi solent, nihil est, quod majorem requirat prudentiam, nec quidquam, quo a medicis temerariis plus noceatur. Etenim nimia et inopportuna venaesectionum applicatio et in universum antiphlogisticorum usus est pericu-

losus quum in omnibus morbis inflammatoriis secundariis, tum imprimis in illis febres exanthematicas et inter eas Scarlatinam sequentibus propterea, quod, quamvis sthenica inflammatoria morbi indoles esse videatur, facile tamen nimia antiphlogosi in asthenicam quam vocamus, imo etiam in typhosam delabitur morbi formam: quod quomodo fieri possit facile est ad intelligendum, si reputaveris, quantopere febribus exanthematicis in universum, sed Scarlatina prae ceteris corpora quamvis robusta celerrime debilitentur et quam insignis saepe, quae abnui non possit, Scarlatina febri qualiscunque typhi interdum prorsus simulans fiat sanguinis corruptio.

Quae quum ita sint, magis proderit in universum venaesectiones vitare et hirudinibus aliisque localibus sanguinis depletionibus acquiescere; quod eo facilius est, quo magis plerique, de quibus agimus, aegrotorum ea sunt aetate, qua venaesectiones omnino non instituantur. Itaque, quum opus fuerit, hirudines applicentur, calomel caute aliave medicamenta antiphlogistica praebeantur; fracta autem morbi vi inflammatoria diaphoreticis et diureticis ac quidem lenioribus illis, tartaro depurato, boraxato etc. agendum. Efficacissima etiam in Nephritide albuminosa cum Anasarca universali complicata, praemisso hirudinum usu, vidi balnea ex acido mariatico et nitrico parata, ita ut singulis balneis acidi muriatici et nitrici ana $\frac{1}{2}$ — 1 uncia admisceretur. Aegrotus primo per decem minutas, postea per quartam horae partem in balneo detinebatur; deinde diligenter detersus et integumento laneo involutus ab omni corporis refrigeratione arcebatur.

Vidimus hisce balneis cutem, quae sicca et dura fuerat,

mollem factam et humidam, diuresin, quae fuerat nulla aut maxime diminuta, restitutam, Hydropem paullatim evanescentem. Sed quod calomel attinet, facere non possum, quin pueri cujusdam historiam afferam, quem, rarum illud quidem exemplum, ex Scarlatina hydropicum et calomelane usum, orta vehementissima salivatione et noma accedente, morte abreptum conspexi. Puer ille quinque annos natus, corpore robusto quidem, sed qui aliquam scrophulosae diatheseos praeberet suspicionem, Scarlatina correptus est, quae normalem habebat decursum. Die octavo post eruptionem durante desquamatione, quum se aëri frigido atque humido exposuisset, febricitare admodum vehementer coepit; simul cutis renumque functio turbata, urinae copia celeriter imminuta, ipsa saturata, fusco colore, albumen continens. Accedebant alia Nephritidis albuminosae symptomata, lumbales et qui sympathici vocantur ex genu pedibusque dolores vehementissimi; vomitus spontanei, vel post minimam cibi sive potus copiam frequentes; adaugetur inde celeriter febris, et uti fit, insignes sub vesperum exacerbationes; per noctem insomnis aegrotus, delirans, et qui ab convulsionibus haud multum abesse videretur.

Applicata statim hirudinum ad regionem lumbalem sat magna copia, calomel porrigitur, quo facto, imminuta febri restitutaque paullatim renum secretione, videbatur aegrotus ad bonam mox valetudinem rediturus, quum calomelanos vix scrupulo uno sumpto salivatio oriretur, inopinatae et improvisae mox mortis caussam allatura. Quae etiamsi praeter opinionem nostram quodammodo jam eveniret, qui multo majorem hujus aetatis infantes calomelanos copiam sine salivationis periculo

sumsisse vidissemus, nemo tamen erat, cujus animum tam miserandi, qui postea evenit, exitus suspicio ulla intraret.

Et obversabantur praeterea ante oculos multa eorum, qui sine ullo vitae discrimine salivationem superassent, exempla. Sed salivatio celerrime aucta, mox vehementissima facta nullis medicamentis nullaque opera quamvis intentissima compesci poterat. Quae unquam a medicis ad debellandam salivationem medicamenta commendata sint, incassum nobis in usum vocata.

Intumescebant facies, os, genae, gingiva, pharynx, vix ut parvula potulenti copia sumi posset; ipsae genae pallidae et nitentes, non molles, sed resistentes et durissimae uti in acri fit phlegmone, digitorum tactu apparebant; circumjacentium partium et imprimis oculorum id oedema, ut bulbus vix conspici posset; saliva ipsa profusissima. Et redintegrata interea, quae antea fere disparuerant Nephritidis symptomata, et defatigabatur puer crebris frigoribus cum aestu alternantibus, quum die decimo et quarto post natam salivationem prope oris angulum dextrum crusta gangraenosa parvula appareret, qua celerrime aucta, correptis etiam altera gena ac paullo post pharynge, tertio die deliria inter et convulsiones mors adducta est.

Sed sectionis instituendae venia nobis non data. Quam morbi historiam qui secum reputaverit, et salivationem gangraenae, et quia sine calomelanos usu salivationem nullam prodituram fuisse verisimile est, calomel tam gangraenae quam mortis caussam aut certe ausam praebuisse facili negotio intelliget. Quamobrem etsi nemini, qui sana est mente, rarissimo isto exemplo exterrito calomel ex ista therapiae parte plane expellere in mentem venire possit, tamen id jure affir-

mare mihi videor, evitandum quam plurimum calomel in corporibus Scarlatina debilitatis et ad alia confugiendum esse medicamenta. Ac fieri hoc posse sine ullo aegrotorum damno bene scio, qui post illius pueri casum complures infantes iisdem fere conditionibus, quibus ille egit, et hydropicos admodum et Nephritide albuminosa affectos solo hirudinum, tartari boraxati et balneorum àcidorum auxilio in integram restitutos viderim valetudinem.

Sed jam ad alium morbum Scarlatinae secundarium transeam.

GLANDULARUM LYMPHATICARUM AFFECTIONES.

Frequens in Scarlatina glandularum lymphaticarum submaxillarium earumque, quae in angulo maxillae inferioris Parotidem obtegentes inveniuntur, occurrit inflammatio. Sunt autem istae inflammationes primis Scarlatinae stadiis exortae sympathicae certe habendae; ubi vero postea desquamationis stadio et uti maxime fit, in corporibus nascuntur scrophulosis, videntur non tam purae inflammationis, quam massae tuberculosae infiltrationis, certe non sine inflammationis quodam gradu factae, speciem praebere.

Quod ad Parotides spectat consecutivas, de quibus scriptoribus sermo est, fuit antea satis vulgatus et quod ego sciam apud nos primum a Krukenberg, apud Gallos a Bretonneau detectus error, quo glandula parotis ipsa inflammatione correpta crederetur. Inveniuntur autem hujus inflammationis,

ut omnino, sic quoque in febribus exanthematicis rarissima exempla, quum contra saepe glandulae parotidem obtegentes inflammatae et inde tumefactae inveniantur. Apparere solent istae inflammationes in primo statim eruptionis stadio, vel etiam postea in desquamatione exacerbescente, aut ubi jam evanuit, redintegrata plerumque febri. Tumores, qui ista inflammatione efficiuntur, duri, digitorum pressione plus minusve doloris excitantes, aut solvuntur, aut induratione chronici fiunt, aut in suppurationem abeunt. Plerumque aptis medicamentis adhibitis, hirudinibus, unguenti mercurialis inunctionibus etc. resolvuntur, quamobrem indurationis et suppurationis exitus, nisi in corporibus valde scrophulosis, rariores sunt. Potest autem haec suppuratio et potissimum glandularum submaxillarium summum vitae periculum et ipsum obitum afferre descensu puris in inferiorem colli regionem, quin etiam in cavum pectoris facto; aut magnis colli vasis cum nervo vago nudatis et obortis inde, quae ex nervi vagi irritatione oriri solent, symptomatibus, aut perforatione ulcerativa venae jugularis facta. Sed talis exitus rarissima sunt exempla.

OTITIS.

Est Otitidis cum Scarlatina admodum vulgaris praesertim in infantibus scrophulosis complicatio; propagatur e pharynge per tubam Eustachii processus inflammatorius ad cavum tympani, unde Otitis interna et facile suppuratio, tympani perforatio, Otorrhoea; quae ubi chronica evasit, maxime in corpo-

ribus tuberculosa diathesi laborantibus oriundae ossis temporum cariei occasione data, et facta multis annis post morbi initium in cavum cerebri perforatione, haud raro hoc modo serae mortis existit caussa. At symptomatologia ab ea, quae in Otitide primitiva invenitur, eo differt, quod haud raro tam occultus et insensibilis morbus irrepit, ut Otorrhoea et perforatum tympanum prius reperiantur, quam ulla auris internae inflammationis suspicio animo medici exstiterit; nec fieri hoc posset, nisi dolores, quos in Otitide primitiva atrocissimos esse notum est, aut nulli aut certe non semper tanti essent, ut aegroti valde de iis conquerantur. Therapia nihil ab ea discrepans, quae alias etiam contra Otitidem institui solet, simplex et efficax, ubi primo in stadio morbum cognoveris, anceps, ubi jam perforatum tympanum et Otorrhoea in corpore diathesi scrophulosa instructo adsunt, irrita et nulla fere, ubi caries jam invasit.

PERIOSTITIS SCARLATINOSA.

Corripitur interdum in desquamationis stadio et postea etiam periosteum et imprimis extremitatum ossium inflammatione, vehementibus plerumque doloribus stipata; quae ubi non solvitur, puris accumulatio, abscessus penitiores, indeque favente praesertim diathesi tuberculosa caries oriuntur. Videtur haec Periostitis scarlatinosa, ubi in apophysibus et non in diaphysibus sedem habet, inque suppurationem abit, eum morbum constituere, qui apud scriptores Gallicos sub nomine, „inflam-

mations articulaires“ morbis Scarlatinae secundariis adscribitur, et luxationum spontanearum humeri maxime caussa fit. Oriunda ex periosteo inflammatio ad membranas serosas articulorum propagatur et suppuratione carieque accedente per magnam istam articuli destructionem luxationibus spontaneis ansa praebetur. Sunt autem, qui istas luxationes plerumque, uti jam dixi, in humero obvias non ipsius articulationis morbo, sed sola, quae ut alioquin typhum, alias febres, ita quoque Scarlatinam interdum sequitur, musculorum languida et incredibili modo debilitata actione explicandas esse contendant; quod quo jure faciant, nescio equidem, praesertim quum nunquam mihi istiusmodi luxationes videre contigerit.

CORYZA.

Est coryzae non admodum rara cum Scarlatina complicatio et infausti plerumque ominis. Oriri solet primis statim stadiis simul cum pharyngitide primo usque ad sextum septimumve diem; Rillet et Barthez coryzam scarlatinosam observaverunt per triginti quatuor dies durantem et tamen aegrotum postea ad bonam váletudinem reductum. Sed tam felicis hujus morbi exitus rariora tantum extant exempla. Quod ad anatomiam pathologicam attinet, non semper unam eandemque speciem praebent alterationes membranae mucosae narium. Ita interdum maxime rubescens aut nonnullis tantum locis aut tota invenitur, interdum vero etiam albida et pallescens, tumefacta, mollis ita ut detergi facile possit, interdum

etiam ulcerationibus obsita aut levibus aut penitioribus illis, ita ut ossium narium cariem adduxerint. Inveniuntur etiam in cavo narium pseudo-membranae albidae, elasticae et ita densae, ut facile a parietibus narium totae auferri possint; sed tum plerumque membrana mucosa se offert valde rubescentem, sed non admodum mollem nec exulceratam.

SYMPTOMATOLOGIA.

Primum fere coryzae symptoma solet esse fluxus narium serosus seu mucosus, flavus colore, qui magis magisque densior fit et purulentus et foetidum exhalat odorem; est hic odor minime gangraenosus, sed quod nos „fade" dicimus et nauseam efficiens; postea vero hic fluxus plerumque aliam assumit naturam, magis liquidus fit, ichorosus et interdum sanguinolentus; sed hoc, nisi forte epistaxis affuerit, semper ad membranae mucosae exulcerationes referendum. Alae nasi rubescentes, tumefactae, postea vero totus nasus nitens rubore erysipelatoso; qua inflammatione erysipelatosa interdum magna nasum circumjacentium regionum pars corripitur; sed praeterea labium superius continua acris fluidi irritatione invenitur valde rubescens, tumefactum, excoriatum, interdum etiam exulceratum. Praeter haec symptomata localia inveniuntur et alia, ut respiratio difficilis, stertorosa, et si insigniter tumefactae sunt membranae mucosae narium aperto ore; tum vero etiam labia, dentes, lingua sicca et arida aut fusco et tenaci muco obtecta. Quod ad symptomata generalia spectat solet plerum-

que adesse febris admodum vehemens et ad naturam typhosam declinans; sed quum plerumque cum coryza aliorum organorum graves morbi complicati sint, difficilis fit distinctio, nec possunt symptomata generalia ad unam tantum localem affectionem referri.

In universum Coryza facit celerem decursum, sed potest etiam longius durare, uti jam diximus, periculosissimus morbus, et plerumque funestus imprimis in parvulis infantibus. Quod ad therapiam attinet, non multum medicamentis effici solet; commendata sunt primo coryzae stadio hirudinum ad nasum applicationes et Calomel; sequentibus stadiis laudaverunt alii injectiones in cavum nasi instituendas emollientes, alii adstringentes et causticas ut Argenti nitrici solutiones etc. Maxima cura in eo adhibenda, ut diligenter semper acris ex naso defluens detergatur mucus, et quantum fieri potest a cavo oris arceatur.

OPHTHALMIA SCARLATINOSA.

Primo scarlatinae stadio ut cavi nasi et oris ita etiam tunicae conjunctivae palpebrarum et bulbi invenitur affectio inflammatoria, quae tamen plerumque sine ullo aegroti damno mox evanescit; interdum vero ex eo glandularum Meibomiarum existunt chronicae inflammationes, vel etiam corneae ulcera perforantia et inde Iridis prolapsus; sed talis hujus affectionis exitus nunquam mihi videre licuit exemplum.

PERIOSTITIDIS SCARLATINOSAE EXEMPLUM (1).

Puer quatuordecim annos natus febri scarlatinosa admodum inflammatoria correptus est. Ac primum quidem maxime capiti imminere periculum videbatur; sed quae aderant symptomata cerebralia mox evanuerunt. Sexto morbi die aegrotus de vehementissimis ex membris doloribus et maxime ex brachio et cruribus conqueri coepit, qui augebantur pressione, quibusque insomnis aegrotus reddebatur. Exanthema inde normalem habuit decursum et desquamatio orta est; simul dolores ex cruribus et ex brachio dextro evanuerunt, sed in brachio sinistro eo vehementiores facti sunt; puer insomnis; brachium a digitis ad humerum usque tumefactum, acres dolores leni pressione excitans, cutis calore et rubore insignis. Applicatae hirudines et Calomel cum Jalappa porrectum, quo facto et tumor et dolores valde imminuta sunt; manus antibrachium et inferior brachii pars mox in integrum restituta sunt statum; sed superior brachii pars et articulatio humeri tumefacta et dolorifica remanserant. Paucis diebus post in externa humeri parte quo loco musculus deltoïdeus inseritur tumor apparuit fluctuans magnitudine ovi gallinacci; obtectus est cum emplastro de Galbano crocato cum empl. mercuriali

---

(1) Jahrbücher der ambulatorischen Klinik zu Halle v. P. Krukenberg.

et laxantia e Calomel et Jalappa parata ut antea data; mox et dolores et fluctuatio et omnis tumor disparuerunt; ac tunc primum, quum accuratior perscrutatio institui possit, luxatum caput humeri in anteriori pectoris parte sub musculo pectorali majore repertum est; musculus deltoïdeus atrophicus, et ligamenta articuli humeri maxime relaxata erant. Luxatus humerus facile reponi poterat, sed statim in priorem statum delabebatur. Medicamentorum roborantium et inunctionum irritantium usu, et apta fasciarum applicatione post quatuor hebdomadas humerus in pristinum restitutus est statum.

EXEMPLUM HYDROPIS SCARLATINOSI.

M . . . . P . . . . quatuor annos nata, quae antea bona valetudine floruisset, secundo die mensis Septembris anni 1845 Scarlatina correpta est. Jam per complures dies morosa puella, cibos aspernans, de magna lassitudine, et dormiendi cupidine conquerebatur; tum secundo Septembris die febris admodum vehemens oborta est, pulsus plenus, paullulum durus, et qui 120—130 ictus in minuta praeberet; cutis sicca, calidissima, et quae quasi aspera appareret; defatigabatur aegrota doloribus ex capite, ex pharynge, et siti vehementissima; fauces rubescentes, tonsillae tumefactae, dorsum linguae albido et tenaci muco obtectum, partes laterales et apex rubescentes papillis turgescentibus conspiciebantur. Secundo die post febris initium eruptio scarlatinosa per totum corpus facta est, accedebant simul vomituritiones, et conque-

rebatur aegrota de doloribus in regione epigastrica, qui pressione augebantur; alvi excretio retardata erat, urina paullulum tantum imminuta quod ad copiam, sed fusca et sedimentum continens. Emeticum ex Ipecacuanha et Tartaro emetico paratum aegrotae porrectum, et regimen antiphlogisticum institutum; Angina faucium cum exanthemate quinto circiter die disparuit, et septimo desquamatio initium cepit.

Die decimo sexto, quum se puella inter convalescentiam aëri frigido et humido exposuisset renovata repente est febris vehementibus symptomatibus; pulsus frequentissimus, cutis renumque secretio maxime turbata; tum primum oedema faciei apparuit, et mox totum corpus pervasit; simul alvi obstructio, et dolores circa regionem umbilicalem spontanei et digitorum pressione valde aucti, mox et vomitus frequentes; quod ad renes attinet aderant omnia Nephritidis albuminosae symptomata: urinae copia minima, fusca adeo ut cruorem continere videretur, albuminuria, et dolores vehementes circa regionem renalem, qui pressione augebantur; quod ad vomitus attinet, poterant referri et ad morbum renalem et ad Peritonitidem, cujus etsi non gravis, certe aliqua suspicio aderat. Applicatae sunt quatuor hirudines in regionem renalem, et Calomel porrectum. Sed oedema interea continuo augeri, et accesserat Ascites; venter valde tumefactus et percussionis sonus inde ab symphysi ossium pubis usque ad regionem umbilicalem obtusus, in superiore vero regione tympaniticus; et accesserat dyspnoea vehemens orta ex eo, quod per Ascitem diaphragmatis functio impedita erat; nam neque pulmonum oedema aut alius pulmonum aut cordis morbus investigari potuit. Sed

ubi prima salivationis symptomata apparuere, omissum Calomel, et ad diuretica confugimus; nec multo post evanescere paullatim oedema coepit, et simul cutis et renum secretio restituta; sed in urina albumen non statim disparuit, sed decem diebus postquam oedema decrescere coeperat, haud exigua copia acido nitrico praecipitari poterat. Notandum etiam, quod eo tempore, quo cutis functio tota restituta esset, saepius et in dorso et in pectore Erythema conspiceretur magnam Scarlatinae similitudinem praebens. Sed tunc etiam, et maxime in extremitatibus epidermis denuo exfoliari coepit; balneis et apto regimine mox eo perventum, ut aegrota ad pristinam reduceretur valetudinem.

VITA.

Ego, Albertus Eggers, Romae natus sum patre Carolo, matre Elisabetha, quos deus optimus maximus vivos adhuc salvosque mihi servavit. Confessioni catholicae sum addictus. Primis litterarum elementis domi imbutus, gymnasium Carolinum, quod Eggert directore Strelizii florebat, per decem annos adii. Maturitatis testimonio instructus, inter almae litterarum universitatis Halensis cives receptus, hisce scholis interfui:

Ill. Erdmann de psychologia;
Ill. Schlechtendal de botanice;
Ill. D'Alton de osteologia, de anatomia, de physiologia;
Cel. Steinberg de chemia;
Ill. Friedlaender de encyclopaedia;
Ill. Kaemptz de physice;
Ill. Burmeister de zoologia.

Inde Berolinum me contuli et scholas frequentavi:

Ill. Mueller de anatomia comparata;
Ill. Mitscherlich de materia medica;
Ill. Juengken de chirurgia;
Ill. Schoenlein de pathologia speciali.

In arte cadavera rite dissecandi Ill. Mueller et Schlemm me instituerunt. Anno uno peracto Halas regressus scholas adii hasce:

Ill. Krukenberg de pathologia et therapia speciali;

Ill. Blasius de aciurgia;

Ill. Hohl de arte obstetricia.

In institutis clinicis duces mihi fuerunt Berolini Ill. Juengken et Ill. Schoenlein; Halis Ill. Krukenberg, Ill. Blasius, Ill. Hohl.

Quibus viris omnibus, optime de me meritis, gratias ago, semperque habebo quam possum maximas.

Jam vero tentaminibus et philosophico et medico, nec minus examine rigoroso superatis, spero fore, ut dissertatione thesibusque publice defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me rite conferantur.

THESES.

1. Nullus animi morbus, nisi in corpore aegroto.
2. Non sunt remedia specifica.
3. Medendi methodus pro genio epidemio mutanda.
4. Sola auscultationis et percussionis signa certae morbi diagnosi statuendae non sufficiunt.